

ritionem non annullatur executio præcedens, secus si per eam annulletur, quia allegat causam aliquam resolutionem ex hæcenus deductis.

Et ut hæc doctrina Menochij, & sequacium loquentium in contradicatore admissiorem ex l. fin. C. de edicto dicti Adrian. tollen. comparante post factam iam missionem, magis quadret, scire debes; quod de ea missione ad missionem in possessionem beneficii faciendam, vel factam virtute litterarum Apostolicarum, vel alterius collationis (cum ad utrumque sit competens remedium adipiscendæ) validum est argumentum, & sub regulis legis fin. comprehenditur, & omnino regitur & utrumque æquiparatur, in procedendo, & contradicendo, aut opponendo, ac omnibus aliis Marquesan. de commissio- nib. 1. part. cap. 13. num. 20. Ioannes Hieronym. Campanill. diversor. iur. rubric. 11. cap. 13. à num. 221. & à num. 223. Rotæ decisio per Nicolaum Garciam de beneficio. 6. part. cap. 2. num. 124. & alia per eundem sub num. 128. versicul. Tandem ad medium, & vide, num. 143. & optimè ipse Garcia num. 159. & vterius ipse Garcia bene 1. part. cap. 5. num. 443. & melius 6. part. cap. 4. à num. 7. cum sequentibus, & in decisionibus ibi adductis, & num. 50. & 65. & dist. 6. p. cap. 2. à num. 161. cum sequentibus, & num. 164. & 165. per totum, bene González in regula 8. Cancel. gl. 15. §. 1. à num. 81. cum sequentibus, vsque ad finem glossæ, & ipse González in §. 7. proximali. à num. 142. Marefcotus variarum resolu- tur. lib. 2. cap. 1. à num. 42. Seraphinus decis. 357. part. 1. Caballerius decis. 230. & decis. 274. Mirabiliter Rota per Coccin. decis. 431. num. 1. qua ad idem alia recenferur decisio, mirabilis decisio Alexandri Ludouisi 335. num. 6. & n. 15. & ibi Oliucius Beltraminus, & faciunt quæ Nos de Regia protectione 4. part. cap. 8. num. 209. vbi plurimos ad hæc æqualitatem Doctores cita- ramus, quibus & hæc adde, & decis. 80. n. 7. adductam per Viuanum in tractatu de iure patronatus.

Ex quibus satis euidenter deducitur, patronum laicum non citatum quoadcumque comparantem, & contradicentem immisionem factam virtute litterarum Apostolicarum esse legitimum contradicentem tam ex sua possessione iurispatronatus (ad cuius turbationem, & præiudicium necessarium infertur) quam ex vi resolutionis factæ ipso iure per suam contradicentem, & denegatum consensum ex hæcenus dilucidè deductis, & non inutiliter comprobatis. Ac idè non obstat, firmiter asserendum est, & decisionem Rotæ adductam per Marches- sanum in tractatu de commissioibus tom. 1. fol. 437. col. 2. qua dicitur; executionem litterarum Apo- stolicarum non renouari, quando de iure patronatus ad idem beneficium non fuit oppositum ante factam executionem, sed post eam per- actam; cui responderetur, quod vel dicta decisio sit intelligenda, quando de iure patronatus non fuit oppositum per ipsummet patronum, nec per ab eo præsentatum, sed per alium tertium putà consanguineum, vel alium nomine patroni absentis absque eius mandato speciali, & hoc ita videtur innuere dicta decisio, cum genera- liter loquatur de hac oppositione, & à quo facta fuerit, nihil appetit, vel non attendenda, cum loquatur contra tot, & legitima fundamen- ta, & verissimas doctrinas, quas subterfugere,

& evitare nemo poterit, cum reuera per con- tradictionem, & comparisonem patroni laici prout Apostolica resolutum, & ad nullita- tem reducatur executio & cuncta ab ea deri- uatiua, & sic reddatur integra, & ad tempus seu statum, quo legitimus quilibet contradicitor comparere potest.

Quibus ita omnibus suppositis, & hoc no- strum, vile, verum, & efficax remedium ita erit practicandum: si post executionem littera- rum recusus retentionis petitus aut obtentus fuerit, compareat pars cotam executor (semper tamen Regius Fiscalis, vt diximus, legitimus erit contradicitor) & opponat de legitima causa, qua motus fuit Senatus ad decretum decernendo, & simul repositionem factæ executionis petat, & a non repositione, & ab omnibus actibus executionis interponat appellationem, & pro delatione eiusdem iterum recurrat ad Senatum, illic indubiè obtinebit decretum violentiæ, vt deferat executor, & reponat, intimatò- que decreto iudici, omnino reponat, prout tenetur præcisè, ac postmodum in executionem decreti retentionis retineatur in Senatu Bullæ & processus, omniæque acta ad illam attingen- tia executionem præcedentem, sicuti & qua- libet alia, quæ postmodum eorundem littera- rum virtute consiciantur, vinculo decreti retentio- nis similiter alligata retineantur.

Notare etiam debes, quod & ad huiusmodi 136 oppositorem faciendam & comprobendam sufficere, meo iudicio, decretum retentionis Senatus, quia in eo supponitur iusta causa, & legitima ad executionem suspendendam, & super- sedendum in ea, quouique per humilem suppli- cationem interpositam Summus Ecclesiæ pastor remedium adhibeat, cum aliter Senatus non ex- istente iusta & legitima causa ita non decerne- ret (nec de tam graui Senatu vllatenus presu- mendum, sed imò pro se iter presumptio) quoniam cum ad Senatum pertinet hæc cognitio super examine legitimæ causæ ad retinen- dum, & ad effectum suspendendi atque super- sedendi in litterarum executione: ipse Iudex Ec- clesiasticus illi stare debet, quia acta gesta coram seculari, vbi de causa seu articulo cogno- scere & potest, faciunt fidem coram Iudice Ec- clesiastico, quando tendunt ad eundem finem text. est in cap. 2. de exceptionibus, lib. 6. in hæc: Cum quidam seculares Iudices (dum coram eis exci- piuntur de re per Ecclesiasticum Iudicem iudicata, in casu, quo ad eum pertinet cognitio de consuetu- dine, vel de iure) recusent excipientes audire, in derogationem iurisdictionis Ecclesiasticæ, & con- temptum; decernimus, vt per censuram Ecclesia- sticam ab iniquitate coercantur huiusmodi, & ad admittendam exceptionem eandem (ubi aliis de iure debet admitti) à locorum ordinariis compellan- tur, &c. Et statim consecutivè in §. sequenti, idem disponit similiter obseruandum in casu conuerso in hæc: Similiter Ecclesiastici Iudices (si coram ipsis excipiuntur de re per seculares Iudices iudicata) exceptionem ipsam admittunt, in his qua animarum periculum non inducunt, per su- periores suos (nisi fecerint) animaduersione debita castigandi. Hæcenus de mirabili textu ad pro- positum, hunc rextum latè exornant, & eius conclusiones probant Decius in cap. 41. si Clerici, de Iudiciis, & ibi Ripa, num. 3. & alij citari per Valacum in consultatione 65. num. 3. & videndus per

per totam, consul. Nicolaus Millis in reportor. verbo, Index Ecclesiasticus cui sit remissio, An- tonius de Butrio in d. c. ar. si Clerici in princip. versic. Oppano, quod conuincitur, sequitur Marta de iurisdic. 4. p. centur. 2. casu 69. à num. 9. & vi- dendus à num. 7. & nouissimè Rea in decis. Gra- natenf. discept. 8. à num. 30.

Et in optimo casu, quando scilicet super fa- cto matrimonio & incidit quæstio incidenter coram seculari, qui declarauit, non fuisse con- tractum matrimonium inter duos, vt postea si coram Iudice Ecclesiastico moueatur quæstio le- gitimitatis, vt obstat exceptio rei indicatæ ob- tenet coram seculari, exactissimè post alios probat Menochius in cons. 366. num. 46. 47. & num. 48. lib. 4. cuius verba referens sequitur & bene examinat Castillo conuener. tom. 5. c. 105. à num. 6. videndus.

Et hoc procedere (dicit Marta de iurisdic. 3. part. cap. 6. num. 2. & 3. fol. 308. vt huiusmodi acta facta à seculari & fidem faciant omnino in iudicio Ecclesiastico) propter bonam publi- cum, ne delusoria sint decreta prætorum per text. in l. si prætor. ff. de iudiciis, l. res iudicata, ff. de re iudicatè. Bald. in aushent. ad hæc, num. 15. C. de iur. iur.

Et cum hæc cognitio (vt diximus) & exa- men causæ legitimæ & ad retentionem Bullarum faciendam, & super sedendum in ea ad effectum supplicandi sanctissimum, tam de iure, quam de consuetudine immemoriali constanter vt no- toria obseruata (vt diximus supra 1. p. cap. 1. & cap. 2. atque sequentibus) fides huiusmodi examini, & decreto Senatus adhibenda est omni- no in iudicio Ecclesiastico; maxime cum Prin- cipi asserenti adesse timorem scandali omnino fides datur, & eius asserenti statim, vt ex plu- ribus Doctoribus probauimus infra hæc 1. part. cap. 3. §. unico, num. 65. & cap. 4. num. 57. alio- quin directè detraheretur tali Regali, iuri Regis, & consecutivè, contra text. mirabilem, & bene ponderandum in proposito in cap. causam que 7. qui filij sint legitimi, in quo vtrum- que expressè atque manifestè probatur, & deci- ditur in hæc: Causam que & inter R. & F. super eo quod mater dicti R. dicitur non fuisse de legiti- mo matrimonio nata, agitari dignoscitur, vobis commissimus terminandam, verum quia in litteris nostris inseri fecimus, vt sapè factò R. possessionem omnium quorum possessor extitit, quando aius suus proficiscendi Hierosolymam iter arripuit ante prin- cipalis causæ ingressum faceret restitui, si eandem possessione fuisset per violentiam spoliatus; nos at- tendentes, quod ad Regem pertinet non ad Eccle- siam de talibus possessionibus iudicare, ne videamur iuri Regis Anglorum detrabere, qui ipsarum iudicium ad se, asserit pertinere, fraternitati vestra mandamus, quatenus Regi possessionis iudi- cium relinquentes, de principali, &c. Plenius cognoscatis, &c.

Vilius tamen erit in hæc & quæstione, quod antequam pars grauatæ per litterarum Apo- stolicarum executionem ad Senatum Regium ac- cedat pro remedio retentionis; compareat coram executor earum, & opponat de suis ex- ceptionibus legitimis, & petat repositionem simul, & appellationem interponat ab execu- tore, & toto processu (vt supra diximus) & post- modum recurrat ad Senatum petens retentio- nem litterarum, & conditionaliter, quod de-

claratur vim facere in non deferendo, & repo- nendo, & tunc dato decreto retentionis, vel non dato adhuc, obtento decreto vim fieri, & reponi: libere subintrat executio decreti retentio- nis, vt hæcenus dictum est, quæ remedia conditionaliter simul cumulari posse, firmavi- mus in cap. 11. sequent. hæc eadem 1. part. vbi latissimè tractauimus de consensu horum reme- diorum per plurimorum casuum distinctionem.

Aduerte etiam, quod quando & in Senatu declaratum fuit vim facere, & reponere iudi- cem executorem, decretum sufficit quod intin- metur iudici dumtaxat, processu remanente in Senatu, quis illum petat ad reponendum, non audiatur, sed secunda iussio concedenda, quoniam ad repositionem faciendam, sicut non eget iurisdictione, ita nec actus, sed per decretum suum decernat repositionem, & committat alicui suo ministro executionem, si opus sit, aut intinet possessori repositionem, ne ad posses- sionem accedat, quia de facto sufficit reponere, prout latè Nos de Regia protectione 1. p. cap. 3. à num. 10. cum seqq. & per totum, ne fortè pro- cessus occultetur, atque executio decreti retentio- nis defraudetur, ito petuigilans.

Quod fallit, quando executor litterarum de- cessit, vel longè abest, & ita vt deficiat ad effec- tum reponendi possessionem, & executionem ab eo iam peractam virtute decreti violentiæ, & sit necessarium recurrere ad superiorem aliquem coexecutorum, seu delegatum simul nomina- tum in litteris Apostolicis, vt compleat dictam violentiæ decretum reponendo: nam tunc litem Apostolicæ, & processus ad eum remitte- rentur, vt possit acceptare iurisdictionem, & de commissione sibi facta certiorari. Idem dicen- dum erit de Ordinario ad quem fit per Senatum remissio causæ ad hunc dumtaxat effectum repo- nendi dictam executionem mortuæ, vel longè absente executor ipso, de quibus omnibus latissimè videre est in §. sequenti per totum, & signanter à num. 52. cum multis seqq.

§. VNICEPS.

Executionis litterarum iam peractæ re- positio per quem faciendæ erit virtute Decreti Regij violentiæ ipso execu- tore mortuo, vel longè absente, vt re- tentionis Decretum postea obtentum plenarium consequatur effectum.

Vbi an per Iudices, & executores super- flites in litteris nominatos, & an si plures sint, præuentivè electio com- petat vtrique parti, vel imperanti dumtaxat.

Et an, & quando per Ordinarium hæc valeat fieri repositio.

Et an tunc per sequentem fructuum be- neficij vim patienti, & litterarum re- tentionem obtinenti consulatur.

S V M M A R I V M.

Litterarum executionem iam peractam Senatus virtute Decreti retentionis per seipsum reponere nequit, num. 1.



Per Decretum violentia, executorem vim facere, & reponere, inimum executori, & facta repositione, Decretum retentionis plenum consequitur effectum, num. 2.

Executores mortui, vel absente extra Regnum, à quo repositio peracta executionis sit facienda virtute Decreti violentie, num. 3.

Index successor in iurisdictionem omnia tenetur adimplere Regium Decretum violentia, etiam suo antecessori directum, num. 4.

Ad litterarum Apostol. executionem nunquam vnus solus nominatur executor, sed plures, vt sic provideatur impedimentis contingentibus, num. 5.

Executores pluribus in solidum nominatis per praenotionem vnus, ceteri non excluduntur perpetuo, sed isto mortuo aut absente vnus ex superstitibus prosequitur causam in eodem statu, num. 6.

Cap. cum plures 8. de offic. Delegat. lib. 6. expenditur, & late exornatur, ibid. & num. seqq. Rescriptum pluribus directum, & eorum cuiilibet, si is qui capit causam discedat, aut legitimum impedimento detineatur, vnus ex superstitibus assumit causam in eodem statu, num. 7.

Superstes, vt successor in causa tenetur adimplere Decretum Senatus, de otorgar, y reponer, etiam directum suo antecessori mortuo, vt absenti, num. 8.

Qui se reponere recuset, secunda iussu per Senatum expeditur in ipsum, num. 9.

Si plures sint superstes executores nominati, quis eorum adimplere tenetur Decretum Regium violentie? num. 10. & sequentibus.

Electio vnus ex superstitibus executoribus nominatis pertinere imperanti priuatiue, mortuo primo praecipiente iurisdictionem, sectatur Christophorus de Paz, num. 11.

In imperantis potestate sicut fuit à principio, vt vel non vti rescripto: ita ad eum priuatiue spectat eligere vnus ex superstitibus, mortuo eo, qui causam cepit, argumentatur ipse Paz, n. 12.

Appellans nequit praeniri ab appellato in impetranda commissione super appellatione, num. 13.

Mortuo executore, electionem praenotiam vnus ex superstitibus nominatis pertinere vtrique parti, constanter tenet Autor contra Paz, n. 14, & sequentibus.

Impetrans ante praesentationem commissionis potest liberè ea non vti, & renuntiare; secus post eam, & citato adversario, cui iam ius fuit questum, & commissio facta communis vtrique parti, n. 15.

Commissione facta communi, & iure equaliter questio vtrique parti, electio ex superstitibus aequaliter vtrique competit praenotiae, num. 16.

Iner habentes aequale ius melior est conditio praenotientis, num. 17.

Ius eligendi, aut nominandi si competit pluribus in solidum, inter eos admittitur praenotio, & praeuadet praecipiens, num. 18.

Vt in procuratoribus in solidum datis, num. 19.

In venatione, & piscatione praenotientis, & praecipiens sunt animalia, & pisces, num. 20.

Iudicium plurimum competentium electio competit prius promouenti, etiam inuito adversario, n. 21.

Impetrantis facultas eligendi à principio vnus ex executoribus nominatis in sua commissione, ex vtilitate fuit per primam electionem validè à se factam, num. 22.

Eligendi facultas, sine competens ex testamento,

sue ex contractu extinguuntur, si fiat per contractum inter viuos, num. 23.

Electio vnus Iudicis ex nominatis facta ab initio per impetrantem per contractum facta intelligitur, cum in iudicio quasi contrahatur, n. 24.

Eligendi facultas semper confirmatur, quoties ex electione semel facta ius fuit alicui questum, num. 25.

Praenotio iudicialis duplex est, altera qua fit à Iudice, altera qua fit à parte, num. 26.

Appellanti dum res est integra competis facultas impetrandi commissionem super appellatione sua, qua tunc ab adversario praeniri, & subplantari non potest, num. 27.

Re non integra per commissionis praesentationem commissio fit communis vtrique parti, & aequaliter ius questum, ac pariter ius eligendi vnus ex superstitibus, num. 28.

Termino praefixo appellanti ad impetrandum transactio, res definit esse integra, & ius adversario questum aequale ad praenotandam, & praecipuandam impetrationem super appellatione, num. 29.

Eligendi vnus ex superstitibus executoribus facultas si competeret imperanti priuatiue, graue foret inconueniens, qui vel tardius, vel nunquam eligeret, num. 30.

Ob impedimentum Iudicis transfunditur iurisdictione in alium, ne derineatur iustitia administratio, dum expectatur impedimenti remotio, num. 31.

Impetrans mortuo Iudice Delegato, non habet Iudicem, qui ei possit praefigere terminum, ad eligendum alium ex superstitibus in sua commissione nominatis, num. 32.

Mortuo, vel extra Regnum absente executore, qui vim intulit, decretum violentia cuiilibet ex superstitibus imitari potest, siue à vim patiente, siue ab impetrante, & i tenetur reponere, num. 33.

Vt inde Regium Decretum retentionis suum consequatur effectum impeditum per executionem litterarum vnus peractam, num. 34.

Superstite executore (cui decretum Regium fuit inimum) recusante reponere, secunda iussu per Senatum erit expedienda, num. 35.

Executore, qui capit causam, longe absente, potest vnus ex superstitibus in commissione nominatis eam reassumere in eodem statu, & prosequi, num. 36.

Absentiam Iudicis notabile non solum esse iustum impedimentum ad eum excusandum à munere indicandi, verum ad iurisdictionem in alium transferendam, num. 37.

Delegato vim inferente, & postea mortuo, vel habente salubre remedium est querere vnus ex superstitibus comiudicibus nominatis in commissione, cui Decretum violentia iniungitur, n. 38.

Mortuo, vel absente executore, qui vim intulit, Decretum violentia etiam ei directum comprehendit vnus ex superstitibus, cui fuerit inimum, num. 39.

Potest etiam concipi specificè, complemento directo ad vnus ex superstitibus, cui fuerit inimum, num. 40. & 41.

In necessitatibus urgentibus extra ordinem Princeps subuenit, num. 42.

Incertitudo in necessitatibus admittitur, & non vitiat, num. 43.

Decretum violentia directum ad vnus ex superstitibus,

stibus, cui iniungitur, non continet incertitudinem considerabilem, cum facile ex intimatione ad specificam certitudinem reducat, n. 44.

Incertitudo, qua ex futuro euentu, vel per factum, aut declarationem alterius certa redditur, in quilibet dispositione admittitur, num. 45.

Empio pro persona nominanda per emptorem sustinetur, ita vt facta nominatione retrahatur, ac si à principio ipsa contraheret, num. 46.

Clausula (omnesque alios) sustinetur per nominationem impetrantis circa conueniendis postea factam, num. 47.

Incertitudo, & generalitas sententiae certificanda in executione admittitur, num. 48.

Conditio extrinseca sententiae non suspendens condemnationem, nec definitionem negotij admittitur, num. 49.

Senatus, si in Decreto violentia non fecerit mentionem Iudicis superstitis, poterit seorsum in alio Decreto id continere tollendo dubitationis gratia, num. 50.

Decretum violentia etiam directum Iudici mortuo, vel absenti, qui vim intulit, & etiam non facta mentione superstitis, semper huic inimum adstringit, num. 51.

Littere Apostolicæ si virtute Decreti retentionis retineantur in Senatu, quomodo relaxande, vt superstes acceptet commissionem, num. 52.

Delegatus certus esse debet de sua commissione, non aliter quam per litterarum originalium ostensionem, & sibi factam praesentationem, num. 53.

Ita vt transumptum earum non sufficiat ad exercitium iurisdictionis, num. 54.

Littere Apostolicæ mittenda sunt ad superstitem, ad acceptandam commissionem, etiam stante decreto Regio retentionis earundem, num. 55.

Et mittuntur tradenda tabellioni cum omni cautela, & securitate, vt facta intimatione superstiti, & repositione, redeant ad Senatum, num. 56.

Et redeunde sunt in Senatum, vel virtute prioris praouisionis Regia, vel etiam noui Decreti, num. 57.

Virtute litterarum iam per Senatum retentarum nihil ab impetrante stendum, quin subiciat retentionis Decretum, num. 58.

In duobus malis minus est eligendum, num. 59.

Mortuo, vel absente executore litterarum, qui vim intulit, quando poterit recurri ad Ordinarium pro repositione possessionis, & attenta executionis, num. 60. & sequentibus.

Litterarum Apostolicarum executio directa Iudicibus particularibus per Senatum remittitur Ordinario; cui prima instantia competit deficientis subscriptione propria manus Sanctissimi, num. 61.

Processus gestus per executores ex commissione non subscripta vitio attentatorum, & nullitatis subicitur ex defectu notorio iurisdictionis, num. 62.

Mortuo executore (qui vim intulit) ex commissione non subscripta, Senatus remittit causam Ordinario, non ad effectum procedendi perpetuo, cum id impediat Decretum retentionis, sed reponendi tantum, num. 63.

Ad repositionem attentatorum Index non eget iurisdictione, num. 64.

Remissio litterarum Ordinario facienda cum Regio Decreto ordinante eas retinendas in Senatu, quomodo compatiatur, num. 65. & seqq.

Remissio litterarum Ordinario, ad finem reponendi dumtaxat, breui duratura non impedit, nec tollit effectum Decreti retentionis, sed paullisper suspendit, num. 66.

Breui reuersus recessisse non videtur, num. 67.

Nec abesse dicitur statim reuersus, ibidem.

In consequentiam trahi nequeunt qua propter necessitatem aliquando sunt concessa, num. 68.

Quando ius posterius confundit aliud secum concurrens, si illud est temporale, non operatur confusionem perpetuam, sed temporalem suspensionem, num. 69.

Conductor rei eam emen, sequito retrattu, redit ad suam conductionem, num. 70.

Vsufutuaris proprietatis emptor retrattu sequuto, redit ad suum vsufutuum, num. 71.

Littere remisse Ordinario ad effectum reponendi stante retentionis decreto semper huic sunt affecte, quocunque vadant, num. 72.

Ius pignoris in re non perditur, creditore factio Demino reuocabiliter, num. 73.

Primus contractus non nouatur, nec liberantur pignora, aut fideiussores per secundum in maiorem firmitatem prioris factum, num. 74.

Secus si secundum fiat animo nouandi, & à primo recedendi, num. 75.

Inter Decreta retinendi litteras, & remissionis ad Ordinarium ad finem reponendi, nulla repugnancia reperitur, nisi in sonitu verborum, cum in sine & effectu conueniant, num. 76.

Retentio litterarum fit, ne procedatur ad earum executionem, at remissio earum ad Ordinarium, ad iam factam destruendam, & reponendam, n. 77.

Contraria remedia ad idem cooperandum cumulari possunt, & compatiuntur, num. 78.

Contrarietas in abstracto, & non in concreto, nec in substantia non attenditur, num. 79.

Ordinarius, cui fit litterarum remissio mortuo executore, ad finem reponendi, an ad petitionem solum partis, an etiam ad intimationem decreti violentia reponere potest, num. 80. & sequentibus.

Ordinarius, cui fit litterarum remissio per Senatum non ex iurisdictione litterarum, sed sua propria in prima instantia procedit, num. 81.

Successor in re alio iure, quam iure praedecessoris non tenetur ad id, ad quod ius tenebatur, n. 82.

Successor in re per iuris translationem tenetur stare conductioni per antecessorem facta, secus si succedat per priuationem, & extinctionem iuris, num. 83.

Ordinarius, cui littere retente in Senatu remittuntur ad finem reponendi mortuo executore, reponere tenetur, tam ad petitionem partis, quam ad solius decreti violentia intimationem, num. 85. & sequentibus.

Ordinarius, cui fit per Senatum litterarum remissio, licet non sit successor in iurisdictione executoris mortui, vel absenti, est tamen successor in eadem re; & cognitione, num. 86.

Successor per priuationem ex eo non tenetur stare conductioni, quia extincta fuit conductio, licet successor sit, num. 87.

Ordinarius, cui fit per Senatum litterarum remissio in prima instantia, tenetur iure, & obligatione propria ratione officij iustitiam ministrare, & reponere ab alio male gesta, num. 88.

Senatus remittens litteras Ordinario ad effectum reponendi gesta per executores mortuorum, libere ei potest in decreto iniungere repositionem, n. 89.



Sequester fructuum beneficiorum apponitur, quando littere Apostol. quas retineri decernitur, iam sunt executae, ob timorem scandali, num. 90.

Per sequester fructuum beneficij impetrati licet ex integro non satisfiat vi oppressi, litteris iam executis, in aliquo tamen coadiuvatur, & detrahit fraudi impetrantis, num. 91.

Fructus beneficij impetrati per alienigenas horum Regnorum sequestrantur, lato decreto recentioris, litteris iam executis, num. 92.

Impetrantes beneficia patronatus Regij, aut laicorum, ac parvonia, Magistralem, aut Doctoralem, & executioni de facto dantes litteras ipso facto sunt effecti alienigenae, & amittunt naturalitatem, & fructus beneficiorum sequestrantur per Senatum, num. 93.

Sequestrantur fructus beneficij parvoniales impetrati litteris executis, nam impetrans ipso facto amittit naturalitatem, num. 94.

Quod ex identitate, & maiori ratione dispositum intelligitur in beneficiis iurispatronatus laicorum, num. 95.

Inter beneficia parvonia, & iurispatronatus laicorum magna datur similitudo, & fraternitas, num. 96.

Beneficia parvonia an preservata sint à reservatione, sicut beneficia iurispatronatus laicorum, num. 97.

Adulti Diocesis Calagurritana clausula excludunt omnem reservationem, num. 98.

Similitudinem inter beneficia parvonia, & patronatus laici non tantam dari, dicit Gonzalez, quae reservationem excludat, num. 99.

Similitudo omnimoda inter duos casus non requiritur ad comprehensionem legis, sed sufficit quod conveniant in casu de quo agitur, num. 100.

Parvonia beneficiorum nulla admittitur in Hispania derogatio, nec reservatio, sicut in beneficiis patronatus laici, num. 101.

Nec permutaciones, aut resignaciones, vel pensiones, num. 102.

Impetrantes beneficia iurispatronatus Regij, & laicorum sui effecti alienigenae, & extranei, sicut impetrantes beneficia parvonia, n. 103.

Littere in derogationem iuris filiorum parvonialem retinentur in Hispania sicut in derogationem patronatus laici, num. 104.

Sicut in substantialibus idem est dispositum in parvonia, quod in beneficiis patronatus laicorum, idem quoad executionem dispositum est intelligendum, num. 105.

A maiori ratione valet argumentum, ibidem.

Pana amissionis naturalitatis & temporalitatum imposita alienigenis impetrantibus, eadem sunt imposita impetrantibus Bullas in derogationem patronatus Regij, & laicorum ex eisdem legibus Regni, num. 106.

Fructus beneficij sunt bona temporalia, & sequestrantur ob executionem factam litterarum, qua retineri mandantur, num. 107.

Instante necessitate, & deficiente remedio ad reponendam possessionem, & executionem litterarum, qua retineri mandantur; omnino verificatur opinio Doctorum asserentium sequestrandos fructus beneficij per Principem ab vitanda scandala, num. 108.

Necessitas urgens legi non subicitur, num. 109.

Necessitas facit licitum, quod alias erat illicitum, num. 110.

Ob scandalum vitandum permittuntur, qua alias non permittuntur, num. 111.



**X** CONTROVERSIA, longaque disceptatione, & eius resolutione, de qua fursum in hoc cap. vt semel peractam iam executionem litterarum Apostolicarum Senatus (qui retinendas ex iusta, & legitima causa decernit) minimè possit reuocare, aut reponere per se ipsum, & directè, iuxta validissima, & inenitabilia iuris fundamenta descripta, & acutè considerata hoc c. 10. à n. 33. cum multis seqq. Atque pariter ex remedio efficacissimo, saluberrimo, & ex omnibus suis partibus constante, vt nempè per Senatum declaretur, Iudicem executorem vim facere non differentem appellationi ab executione interiecta litterarum, mandetorque deferre, & reponere omnia à se nulliter attentata, vt semel facta hac repositione, res reddatur integra, & ad suum illum priorem statum, quo erant littere Apostolicae ante earum executionem, vt si liberè, & absque impedimento Regium retentionis decretum plenarium suum consequi valeat effectum, & vi oppressis ex integro consulatur per hanc litterarum, & totius processus desuper fabricati retentionem, ne ulterius impetrans litteris vti possit in damnum & perniciem publicae utilitatis supplicatione ad Sanctissimum pendente, de quo hoc eodem cap. à num. 89. vsque ad finem, copiosè videre est.

Nunc noua alia, & ingens suboritur difficultas, quoniam modo vt remedium praedictum praticari queat, & vi oppresso retentionis litterarum decretum obtinenti consuli, quando executor delegatus post peractam executionem, & possessionis beneficij traditionem decessit, vel etiam in longinquis, & extra Regnum abesse contingat, cum iam deficiat, qui decretum violentiae, otorgue, y reponga exequi possit, ad latè tradita, & per Nos accuratè disputata in tract. de Regia proce. 1. part. cap. 3. per totum; & signanter a num. 24. & à num. 36. vsque ad finem. Vbi resoluimus Iudicem vim, & attentata inferente mortuo, successorem in eius iurisdictionem vt omnino exequi, & adimplere teneri Regium decretum violentiae, de otorgar, y reponer, etiam suo antecessori directum, quae resolutio licet generaliter verissima sit, atque indubitabilem monstrauerimus ex tot iuribus, & fundamentis ibidem consideratis, & adductis: tamen adhuc remedium hoc inefficax, & inane videtur hoc in casu, cum adaptari minime videatur Iudicibus executoribus ad litterarum Apostolicarum executionem datis, & iam ipsam peragentibus, quibus successores, vt plurimum deficiunt, qui mortuo, vel longè absente executoris grauantur, & vim inferentem, reponere possit, vt retentionis decretum efficaciter operetur, de quo in hoc §. specialiter erit agendum, & ea iuri consona, & vtilia remedia applicanda, ex quibus licitè, & vtiliter adpetretur salubre remedium illud, de quo in hoc cap. & n. 89. cum seqq. Ne inane remaneat Regium decretum retentionis, atque plena inde securitas vim patienti tribuatur.

Primum sit igitur in hoc puncto remedium, ad litterarum vt Apostolicarum executionem, & cognitionem nunquam à Sede Apostolica dari solet vnus Iudex solus, sed plurimos in litteris nominari,

nominari, vt quilibet in solidum procedat, & cognoscere valeat, ob vitanda pericula, & parcendam suspensibus, & expensis impetrantis, cum forte vnus qui nominatur perit interim vel decedere, vel longè abesse, vel aliquo iuris impedimento ad iudicandum detineri, prouidè idcirco plures nominantur, quibus insolidum commissio dirigitur, & ab vno capto negotio alij excludantur, non perpetuè, sed quoad exercitium dumtaxat, ita vt si is, qui cepit cognoscere decedat, vel aliquo impedimento detineatur; alter ex conuocatis possit liberè causam in eodem statu accipere, & liberè prosequi, cum is, qui primitus praecipuè intulit iudicium, & cognitionem, quoad ceteros simul perpetuè eandem. Sic determinauit celebris textus in cap. cum plures 8. de officio delegati, lib. 6. cuius elegantissima verba haec sunt: *Cum plures sub illa forma, vt omnes, aut duo, vel vnus eorum mandatum Apostolicum exequantur, aut alia consimili Iudice, vel executoris à Sede Apostolica deputari contingit: ipsorum quilibet inuicem potest liberè adimplere mandatum. Porro vno eorum negotium inchoante commissum alij nequibunt se ulterius intromittere de eodem, nisi vel infirmitate, vel alia iusta causa illum contingeret impediri: aut si solet, vel malitiosè in eo procedere recusare. Iurisdictione vero perpetua mandatorum viuente per vnum (eo casu, quo potest) ex Iudicibus delegatis perpetua intelligitur quoad omnes. Haec tenus de Pontificia, & egregia determinatione, quam exornant Ordinarij ibidem Lopus, Abbas, Archidiacon. Geminian. Ioan. Ande. Anchari. Burr. Domin. Monach. Philipp. Franc. Viuian. in rariis, lib. 1. pag. 403. Alagon. in Compendio, pagin. 147. & ibid. August. Barbof. in rariis, ad eundem text. num. 2. Castillo in l. 38. Tauri glof. 1. per totam, Azuued. in l. 10. rii. 13. lib. 4. Recopil. num. 12. D. Christophor. de Paz in tract. de reueta, tom. 2. cap. 49. sub n. 5. Illam omnes probantes conclusionem, quod si rescriptum pluribus vt Iudicibus executoribus commissum sit, & eorum quilibet, & lite iam capta, ille, qui prius ab impetrante fuerat requisitus moriatur, vel fuerit legitimo impedimento detentus; iurisdictionem in alium continuari, licet prosequatur, eam assumendo in statu, quo erat tempore mortis Iudicis.*

Ex cuius textus determinatione rectè inferri potest ad praesentem vt difficultatem, quod cum mortuo primo Iudice superstes nominatus verè Iudex sit in causa, & eam teneatur prosequi, & accipere in eo statu, in locumque mortui succedat, ipse omnino debet adimplere Regium decretum, de otorgar, y reponer; iuxta ea quae abundè considerauimus in iis terminis respectu Iudicis successoris in locum demortui, & de identitate vtriusque praerogatiua ad hunc effectum adimplendi litteras tangentes negotium, etiam directas suo antecessori mortuo, in tract. de praerogatiua. Regia 1. part. cap. 3. à num. 40. vsque ad fin. Quo loco innumerae penè doctrinae reperiuntur, quibus praesens vt illa resolutio mire roboratur, & exornatur. Quod si superstes adimplere, & exequi (forte malitiosè) recuset, danda erit secunda iussio ex ibidem consideratis à num. 23. & seqq. & latius eodem 1. p. cap. 2. à num. 265. cum multis seqq.

Quae resolutio vt verissima licet de plano procedat in vno tantum Iudice vt nominatis

in commissione Apostolica superstes verum quid sit sentiendum, quando duo, pluresve superstent ex nominatis, mortuo, vel impedito altero quis prius praecipuè causam, & capram reliquit, an sufficiat quod cuiuslibet eorum Senatus dirigit decretum violentiae, otorgue, y reponga, ita vt quilibet pars, siue is contra quem fuit commissio impetrata, siue ipse impetrans possit, cui eorum voluerit intimare Regium decretum, vel spectandum illi omnino, quod ipse impetrans solus quem maluerit eligat.

In qua difficultate hoc vt viciniam spectandum videtur, si credimus D. Christophoro de Paz in tractatu de reueta 2. part. cap. 49. sub n. 5. Dum (licet perfunctorie) dicit: quod si rescriptum tribus, vel quatuor, vel pluribus aliis Iudicibus sit directum, & primus, qui cognoscere cepit, moriatur, tunc non esse in potestate illius, contra quem rescriptum fuit impetratum; Iudicem alium ex iis qui superstunt, praenire, sed cogendum fore impetrantem vnum ex eis eligere, quem maluerit, dato eodem termino competente ad eligendum. Illam reddens vt rationem, nam sicut in potestate impetrantis fuit rescripto vt, vel non vt, sic etiam priuatiue pertinet ad eum ius eligendi alium Iudicem ex pluribus primo mortuo. At quod allegat gloss. in cap. quoniam Abbas de officio Delegati, & Rotam in decis. 16. de appellat. in nouis, ex ratione e. oblate de appellacionibus. Vbi ille qui appellauit nequit praenire in Iudice vt impetrando, nisi prius requisito appellante, & constituto in mora per anni lapsum (quod respectu termini ipse Paz Iudicis arbitrio relinquit) ergo quousque impetrans noniter alij eligat, quem maluerit; alteri non poterit irrimari Senatus decretum violentiae, nec aduersario competere facultatem cuiuslibet illud intinandi;

Sed salua pace huius Doctores, sua opinio improbabilis est, vt & minus tuta, quae etiam ex summe motiis conuincitur, propter eadem constanter tenendam, & affirmandam, in cuiuslibet partis esse facultate ad quemlibet eorum recurrere, sicuti etiam cuiuslibet Iudicis ex superstibus licitè praenire, & praecipuè licet, cum omnes insolidum sint effecti competentes, & quoad omnes, & singulos à primo fuerit perpetua iurisdictione. Ad quod moueor primò ex eodem fundamento, quo in contrarium motus fuit: Pazmet ipse, nempè de potestate, & facultate impetrantis volentis à principio vt vel non vt rescripto, vt eadem sibi daret postmodum licet capta, & mortuo primo Iudice ad alium eligendum priuatiue; decipitur enim ipse in argumentandi modo, cum consequentia ex praedicto antecedenti vt à re diuersa, & separata inferri non potest. Militat enim diuersa ratio, quae variata reperitur in terminis, in quibus verificatur: nam licet vt impetrans rescriptum possit eo non vt, aut renuntiare re integra, hoc est, antequam illud praesentet, & eius virtute aduersarius: citetur: tamen postquam eo vt cepit, & citatus fuerit aduersarius; et amplius renuntiare non potest, nec durat facultas illo ad sui libitum vtendi, vel non vtendi, quoniam per citationem iam rescriptum pariter effectum est commune vtrique parti, & ex eo aduersario suo citato ius quaeritur, qui eo vt potest eo modo, quo & impetrans, prout latè videre est infra 2. part. cap. 19. à num. 19. cum sequentibus, & n. 51. cum sequentibus, & cap. 12. §. vnico à n. 20.



16 & sequentibus, & hac 1. part. cap. 13. à num. 78. Ergo de necessitate infertur, quòd postquam commissio facta fuit communis utriusque parti, nullibi est ea quaeritur ius aequaliter, & quemadmodum licet vni eligere, & nominare iudicem superstitem, ita pariter & alteri, ita ut inter eos praesentationi, & praesentationi locus sit.

17 Est etiam regula generalis, & constans, quòd inter habentes aequale ius melior sit conditio praesentantis, quam ex l. quoties utriusque, 99. ff. de regulis iuris, regula qui prior de regulis iuris in decret. firmant Roman. consil. 47. num. 1. plura per Ripam in l. privilegia, ff. de privilegiis creditorum. Neguzantius in tractatu de pignoriibus 5. part. 2. membro. per totum, Felician. de Solis in tractatu de censibus, lib. 3. cap. 5. Mascard. de probationibus, conclus. 1234. Mantico in l. 7. glos. 5. tit. 16. lib. 5. Recopilationibus, Hieronym. Gonçalez ad regul. de mensibus, §. 3. proemiali. num. 22. & à num. 1. cum sequentibus.

Et quando aliquibus competit ius eligendi, ut nominandi, aut conferendi in solidum, ita ut vnus possit cum alio concurrere in nominatione, aut electione: inter eos locus est praesentationi, & potior ille est, qui prior praesentauit, cap. dudum 14. §. nos igitur, ibi: Propter quòd nostra qui eandem praesentauimus potestatem, potior debet esse conditio de praebenda. lib. 6. cap. si à Sede 31. eodem titulo, cap. si plures, §. porro de officio Delegat. in 6. & utrobique Doctores, Rota decis. 1. sub num. 2. post medium, de praebendis in nouis, & decis. 17. sub num. 2. eodem titulo in nouis, Staphileus de litter. gratis. in prelud. num. 8. Gomez de expectati. num. 16. Boerius quest. 24. num. 4. & quest. 287. sub num. 1. Abbas in cap. quia diuersitatem, num. 5. de concession. praebende, Bonifac. à Vitalin. in clement. 1. num. 38. ut lite pendente, Rebuffus in concordatis in rubrica de mandatis Apostol. §. declarantes in glossa, verbo, iure praesentationis, in princip. & per totum, & in praxi benefic. tit. de deuolutionibus, num. 46. 47. & 48. Rota decis. 272. num. 4. lib. 2. part. 3. diuersorum, Abbas & Lupus in dict. cap. si à Sede, num. 3. de praebend. lib. 6. latissimè ad plura familia inferens videndus Gonçalez de alternatiuis, §. 3. proemiali, à num. 1. per totum, & est textus (in procuratoribus in solidum datis) in l. pluribus 32. ff. de procuratoribus, cap. non iniuncto de procuratoribus, cap. si duo, versic. Secus, eodem tit. lib. 6. Idem in venatione animalium, & piscatione piscium, quia prius praesentantis, & occupantis sunt, l. 1. §. piscium, ff. de acquirendo rerum domin. §. fera igitur bestia. institut. de rerum diuisione, l. 17. tit. 28. part. 3.

21 Deinde quoniam quando quis habet plures Iudices, & foros, quos sortitur; aduersarius, qui prius praesentat, potest quem maluerit eligere, & coram ipso lis omnino tractanda erit, etiam inuita, & tenente altera parte. Ita docent Glossa vltim. in fin. in l. actor. fin. C. ubi in rem actio, & ibi Curtius num. 2. Bald. num. 5. Salicetus num. 2. Paulus num. 4. Panormitan. in cap. sanè, num. 4. & in cap. fin. num. 43. de foro competens. Marian. Socinus in dict. cap. sanè, num. 11. versic. Decima declaratio, & in cap. cum

fit generale, num. 6. & in cap. licet ratione, n. 90. vers. Alterius quia supra, eodem tit. ubi latissimè Felinus & in cap. dilectus et 2. num. 10. de rescriptis, Aretinus in dict. cap. cum sit generale, num. 7. idem Bald. in l. fin. num. 2. C. si à non competens. Iudice, Roman. conf. 197. num. 1. Tiracuell. de retractu linag. §. 3. glos. 5. num. 9. Carlebal. in tractatu de iudiciis, lib. 1. tit. 1. disp. 2. quest. 3. num. 151. fol. 74. Couar. lib. 1. variar. resolut. cap. 18. num. 6. Franchis decis. 177. per totum, & est l. 32. tit. 2. part. 3. & ibidem glos. 17. Ergo si is, contra quem fuit rescriptum impetratum; prius intimaerit violentia decretum Senatus alicui ex Iudicibus superstitibus, vel alium actum sibi necessarium gerat coram eo, ille Iudex erit cauae, inuito impetrante.

Ex qua regula illa fuit impetrantis facultas eligendi à principio, & dum res est integra, vnus ex pluribus Iudicibus in rescripto nominatis, coram quo possit aduersarium conuenire (& non ex eo quòd ab initio fuit in potestate impetrantis vtendi, vel non vtendi rescripto, vt putauit Christophorus de Paz citatus sup. à num. 11. quia effectus iste ex alio fonte, & diuerso fuit) quae quidem facultas, & potestas eligendi competens impetranti per primam illam electionem semel validè factam consumpta fuit, & extincta, siue à lege, siue ex testamento competat, cap. si electio de electione lib. 6. l. hac condit. l. filia mee; ff. de condit. & demonstration. & est videre infra 2. p. cap. 12. §. vnico à num. 21. & num. 45. Et siue ex testamento, siue ex contractu competens à eligendi facultas, electione semel facta per contractum inter vnus consumitur, & extinguitur, vt per plura iura à se ponderata, & ab aliis Doctores bene obseruat Molina de primogenio lib. 2. c. 4. n. 36. & 37. Christophor. de Paz de tenuis, c. 34. n. 56. & 57. cum segg. quàm plerimos alios laudauimus DD. sup. hoc cap. 10. num. 45.

Quae electio semel facta ab impetrante facta intelligitur per contractum, & cum fiat in iudicio in quo quasi contrahi non ambigit, l. 3. §. idem scribit, ff. de peculio, cap. 1. de mutuis petitionibus, l. inter stipulantem, & Stichum, ff. de verbor. obligat. l. 2. de praxor. stipulat. Ioan. Maria Bellet. disquisit. Clerical. p. 2. tit. de fauore Cleric. real. §. 1. num. 8. pagin. 275. Zeballos commun. contra commun. tom. 4. quest. 897. num. 887. Gonçalez in Regul. Chancell. glos. 6. num. 131. Ioan. Maria Nouar. in praxi electio, & variatio fori, quest. 20. num. 8. sectio. 2. pag. 183. Giutba decis. 99. num. 4. & 5. Imò, & semper omni casu facultas eligendi à consumitur, quando ex electione semel facta, fuit ius tertio quaesitum, vt ex Molina, Caldas Pereira, & aliis probat Paz vbi proximè à num. 60. cum multis segg. Quòd in nostro casu contingit, eò quòd postquam commissio facta fuit communis utriusque parti, aduersario fuit ius quaesitum ex supra dictis à num. 14. Igitur mortuo Iudice, soli impetranti priuatiuè non competit eligendi facultas.

Comprobatur, quia is, qui habet plures Iudices, & foros diuersos, & simul privilegium speciale eligendi quem maluerit, vt scoliaris, & persona miserabilis, semel facta Iudicis electione, siue actor sit, siue reus, facultas eligendi consumitur, vt abundè videtur est per Carlebal. in tractatu de iudiciis, lib. 1. tit. 1. disputat. 2. quest. 6. sect. 7. à num. 604. vsque ad num. 608.

Ergo

Ergo perperam argumentatur Christophor. de Paz de facultate competente impetranti eligendi Iudicem re integra ante vsum commissionis, ad rem non integram post captum iudicium, & commissionem factam communem, cum propter aequale ius nouiter ortum, ex quo utraque pars concurrere potest in facultate eligendi; sit inter eandem praesentationi, & praesentationi locus, ex hactenus abundè comprobatis.

Quippe praesentio iudicialis duplex est, altera quae fit à Iudice, & altera quae fit à parte, ad iuris sibi & aduersario suo in solidum competentis praesentationem, & ad aduersarij exclusionem, iuxta text. in l. si pluribus 33. ff. de legat. 1. l. si maritus 4. ff. ad leg. Iuliam de adulter. in l. tribus, & l. seg. ff. de iudiciis, l. pluribus, ff. de procuratoribus, cap. non iniuncto de procuratoribus, cap. si duo, vers. Secus, eod. tit. lib. 6. annotabit Carlebal. de iudiciis lib. 1. tit. 1. disp. 2. q. 7. seg. 3. num. 870.

Et ad hoc vt vnus consequatur lucrum simul in solidum aliis competens, & ratione praesentationis aliis praesentatur, sufficit, quod is hoc negotium vel incepterit, vel ad id praesentauerit in aliquo, quòd sit causa proxima illius negotij, ita docet Bart. in dict. l. si pluribus num. 1. communiter receptus Ias. & Alexand. ibidem, & per l. si quis à multis, ff. de noxalibus actio. l. 2. §. aduersus, & ibi gloss. ff. ne quid in loco publico, idem Bald. in l. naturalem, §. 1. ff. de adquiren. rerum domin. & in l. quominus num. 10. & ibi Ias. num. 57. ff. de summis. Afflic. in cap. 1. in princip. num. 57. quib. mod. feud. amit. Iacobin. de S. Georgio in inuestit. feud. verb. Provisorem, num. 11. And. in cap. 1. §. omnes filij, num. 5. si de feudo fuerit controuers. &c. Glossa in l. cines, in verb. incolis, C. de incolis lib. 10. Roman. in conf. 47. visis necessarij, Marra de iurisdictione. 4. p. casu 18. à num. 5. cum segg.

Hinc superest responso doctrinae glossae, Rotae decisionis, & Baldi, quod pro simili in suae assertionis comprobatione adducit Christophorus de Paz, vbi superius à num. 11. quae omnino diuersa est, & inapplicabilis casui nostro penitus dissimili, si illam consideramus iuxta illos terminos, in quibus eandem considerauit, & applicare voluit ipse Paz.

Verfatur quippe circa materiam, cap. oblate de appellationibus: quando quis appellauit, & appellatus supplantans aduersarij appellationem à nimis praecurrit, & impetrat commissionem super alterius appellatione non sua, cum appellanti dumtaxat impetrandi haec facultas concessa sit à iure ex cap. si duobus, & dict. cap. oblate, de appellationibus. Quae doctrina sic considerata in istis terminis, quibus res adhuc est integra, & in suo principio; perperam adaptatur nostro casui considerato iam, quando res definit esse integra, ea tamen rectè curreret, & tunc adaptaretur casui nostro, dum in eo res adhuc foret integra, & esset in principio, quo adhuc durat facultas impetranti priuatiuè eligendi Iudicem quemlibet ex nominatis in suo rescripto, eo quòd tunc liberum est ei eligere ex supr. dictis à num. 21. & segg.

At nos versamur in re longè diuersa, & in terminis omnino dissimilibus; quando res iam non est integra, cum iam ipse impetrans elegerit, & Iudex electus caput cognoscere, & sua facultas eligendi fuit extincta, & quando com-

missio ipsa facta fuit communis aduersario, & ex ea ius aequale ei quaesitum, atque omnia iam nouata sunt, & alterata: tunc quippe aduersario pariformiter competit ius eligendi, & praesentandi Iudicem superstitem ex hactenus comprobatis quo casu bene quadrat doctrina, dict. cap. oblate in terminis sumpta, quibus res definit esse integra, prout contingit, quando postmodum appellanti praesentationem, intra quem tempus impetrandam à commissionem, intra quem tempus illam distulit impetrare, quia tunc statim fuit quaesitum ius aequale aduersario suo praesentandi, & praesentandi impetrationem ex Doctoribus allegatis, & dict. cap. oblate; de cuius intellectu, & declaratione latè tractat videndus Marquellanus de commission. 1. part. cap. 26. de commissione appellat. per totum, cap. 26. quo supposito data inter vtrumque casum horum terminorum paritate; ista doctrina non solum non conuenit assertioni eiusdem Paz, verum in totum refragatur, & per omnia comprobatur resolutionem nostram, atque hactenus dictis mirè consonat.

Maximum etiam inconueniens, & damnum oriretur, si inaequalitas haec admitteretur, & inter hos colligantur lite iam cepta & pendente, etenim si priuatiuè ad solum impetrantem pertineret electio; in sua foret potestate detinere, & in longum protrahere cursum litis. Qui nunquam eligeret, si iam (vt supponitur in toto hoc discursu) possessionem consequutus fuit, & litterae quantumuis nulliter attentatae, & violenter semel executae, cum Ius inter sit, amplius super illis non disceptare in graue detrimentum Republicae, & notabile praediuicium aduersarij (& forte spoliati) qui consequi ius suum non poterit, factò & impedimento sui colligantur, quam rationem in casu omnino simili considerauit Pontifex ad effectum, etiam transferendi iurisdictionem ab vno Iudice in alium ob impedimentum superueniens praesentans suspensionem litis motae; in eleganti cap. si is cui, 10. de officio Delegati, lib. 6. in hac: Si is, cui causa (licet proprio nomine non expresse) à Sede fuerat Apostolica delegata, subdelegauerit non in totum vices suas alicui, & subdelegato huiusmodi, si delegatum ipsum excommunicari, aut de medio tolli contingat, impedimento tali durante; ad Sedem ipsam (ne absolutionem, vel successorem expectando illum praediuicari litigantibus, vel causa plus debito prorogari valeat) volumus appellari. Ergo multò fortior haec ratio debet operari negotiorum, imò, & ademptionem electionis ab impetrante, ex qua idem, & maius sequitur inconueniens.

Quod nec quidem cessat ex remedio à applicato per eundem Christophorum de Paz d. cap. 49. à n. 5. ad principium, dicentem cogendum esse impetrantem dato termino competente, vt vnus ex superstitibus Iudicibus aut executoribus eligat; sed hoc remedium inane est, & in eundem incidit morbum, nam si ante electionem nullus adest Iudex, qui exerceat iurisdictionem in causa principali, quis quaeso, impetrantem cogere poterit ad eligendum? Nullus, nec simile de appellante (vt cogi possit ad prosequendam appellationem, & impetrandam commissionem) quo vitur ipse Paz, huic casui nostro congruit, nam appellantem cogit Iudex à quo ex dict. cap. oblate, & dicto cap. si duobus, cap. cum causa